



Crisis Theologica

In Qva Selectiores, Et Aciores hujus, et elapsi sæculi controversiæ,
subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Crisis Theologica - In Qva Selectiores, Et Aciores hujus, et elapsi sæculi
controversiæ, subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Casnedi, Carlo Antonio

Ulyssipone, 1712

§. II. Enervantur Responsa, quæ Riccius nostris argumentis exhibet.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84796](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84796)

meum inducere possum, quod putet esse si-
bi certo falsam, & improbabilem tententiam
Divi Bonav. Scoti, & totius Scholę Scoti-
ficę: ergo iudicium illud ad lumen erit
ei probabilius; & tamen, quod bene confi-
teatur, & quod det materiam sufficientem
pro confessione, est practicę certum moraliter:
ergo intelligere debet quomodo ad ju-
dicium speculativum incertum, seu proba-
bile, aut probabilius, sequi possit dictamen
certum de bonitate actus; nam certus est se
honestę operari, confitendo fricationem
speculativę tantum ei probabilem, aut proba-
biliorem de malitiā.

N. Denique contra hunc doctum Theolo-
gum stant omnia, quę dedi contra Tutori-
tas, aut Probabilioritas, immo magis pre-
munt, cum omnem probabilioritatem reji-
ciat, & obliget ad habendum semper certi-
tudinem moralem speculativam de honestate
objecti, ut honestę, & sine peccato ope-
remur. Tandem ejus doctrinę resistit Ale-
xander VIII. damnans, non satis esse proba-
bilissimam: ergo saltem, ut sine peccato ope-
remur, satis est probabilissima, nec necesse
est, ut sit moraliter certa.

§. II.

*Enervantur Responsa, quę Riccius nostris
argumentis exhibet.*

S U M M A R I U M.

*Negat opinioni probabili convenire prudentiam,
n. 26.*

*Damnata ab Innoc. XI. Confusio probabilitatis
prudenter agit, ibid.*

*Prudentia semper se habet ad practicę verum;
et si non ad speculativę, n. 27. 28.*

*Opinio practica certo probabilis de non peccato
est cum peccato impossibilis, n. 28.*

*Opinans ex gravi fundamento de non peccato,
non formidat de peccato, n. 30.*

At nostram doctrinam esse novam, n. 31.

*Difficile discernere inter probabiles probabilio-
rem; non ita probabilem a non probabili, n.*

34.

*At nos non distinguere certitudinem moralem
ab evidentia, n. 35.*

Ostendo falsitatem, n. 36. 37. 38.

*Cur nos damus certitudinem iudicio reflexo; non
ita omni opinioni directę, n. 38.*

*At licitum docere omnem probabilem in specu-
lativeis, non in moralibus, n. 39.*

*Quam sit invincibilis nostra paritas, vel non li-
cere in speculativis; vel licere in moralibus,
n. 40. 41. 42.*

*In Universitatibus opiniones non defenduntur ut
Tom. III.*

verse, n. 42.

Nego licere sequi probabiliorem, n. 43.

*Si non licet sequi probabiliorem ob peccati peri-
culum, sequenda erit semper tutior, et si non*

probabilis, n. 44. 45.

*At tam facile cognosci, quę opinio sit certa; ac
quę certo probabilis, n. 46.*

*Cur sit per me facilius discernere certo probabi-
lem a non probabili; quàm probabiliorem in-
ter probabiles? n. 47.*

*Juxta me semper necessaria certitudo moralis
ethica, non speculativa, n. 48.*

*At suam sententiam moraliter certam, non no-
stram, n. 49.*

*Riccius uti debet nostrā doctrinā, ut suam de-
fendat, ibid.*

*Negat magis piam de Desparā esse moraliter
certam, n. 50.*

*Quin vult hodie in eodem statu esse quo antea,
ibid. & n. 51.*

Rejicio à n. 52. ad 57.

*Aliud est aliquid esse in materia fidei; aliud
quod sit fide Divinā credendum, n. 56.*

*At quod Pape non vetent, ut quis opinetur in
sua mente oppositam minus piam, & damna-
tas, n. 57.*

Superest ut ejusdem docti Theologi re-
sponiones ad nostra argumenta ponde-
remus.

Respondet 1. cap. 5. n. 1. ad nostrum ar-
gumentum, quod omnis opinio probabilis
practicę sit iudicium prudens; ait, inquam,
quod cum in questione sit, an operari ex
opinionē probabili sit operari prudenter,
malē ponitur in definitione id, quod opposi-
ta sententia negat. Negat autem, tum quia
prudentia non se habet contingenter ad ve-
rum, & falsum, ut opinio: ergo opinioni
non convenit prudentia; tum quia nullus
operans cum æquali spe utilitatis, ac timore
damni operatur prudenter; sed operans ex
opinionē probabili ita operatur: ergo non
operatur prudenter; & ideo Innocentius XI.
damnavit, quod dum agimus cōfisi probabilitate,
prudenter agimus: tum quia et si opinio pro-
babilis nitatur fundamento gravi, est tan-
tū grave respectu fundamenti, cui nititur
suspicio, aut conjectura; non autem est gra-
ve, quantum ad removendum peccati peri-
culum; sola enim certitudo moralis est tale
fundamentum.

Sed contra 1. quia, qui recedit à defini-
tione communissimā omnium, ut alium im-
pugnet, non impugnat questionem, sed
acrem verberat: ergo cum definitio com-
munissima omnium tam Probabilistarum,
quàm Probabilioristarum, & Tutoristarum

li iij sit,

sit, quam nos dedimus, immerito, ut sententiam de licito usu certae probabilitatis impugnet, aliam Probabilis definitionem fingit, & contra nostram insurgit. Etenim impugnans licitum probabilitatis usum, non debet impugnare opinionis probabilitatis definitionem, sed hanc supposita, ostendere debet ejus usum esse illicitum; eo modo, quo pessime, illicitum in peccato mortali Sacramenti usum impugnet, impugnans communem peccati mortalis definitionem. Quæro igitur, an admissa communi opinionis certæ probabilitatis practicæ definitione, sit licitus ejus usus? si est, habemus intentum: si non est, in causa erit, quia per opinionem probabilem aliud per nos, aliud per Adversarium venit: ergo non impugnat licitum probabilitatis usum.

N.
28.

Contra 2. quia, quod nostra definitio sit optima, patet ex infolitate rationum, quas trahit; nam prudentia se habet semper ad verum practicæ, & contingenter ad verum, & falsum speculativè, alias nec moraliter certa erit prudens, quia esse potest speculativè falsa: tum quia falsum est, quod operans ex opinione probabili, operetur cum æquali spe utilitatis, ac timore damni; nam opinio certæ probabilitatis practicæ est omnino impossibilis cum prudenti formidine peccati; nisi arguens velit, simul existere duo iudicia probabilia opposita, quod repugnat: tum quia Innocentius damnavit tantum, quod *confusus opinioni tenuiter probabiliter prudenter agat*; non autem damnavit dicentem, quod prudenter agat *confusus certæ absolutæ*, & relativè gravi probabilitati: tum quia falsum est, quod fundamentum opinionis probabilitatis sit tantum grave relativè ad fundamentum, cui suspicio, & conjectura nititur; nam est absolutæ, & relativè ad fundamentum oppositæ grave, & est adeo grave, ut opinio certæ probabilitatis practicæ de non peccato, sit impossibilis cum peccato; est enim impossibilis cum contradictoriâ opinione certæ probabili, aut probabiliori de peccato.

N.
29.

Respondet 2. n. 4. ad hoc nostrum argumentum, quod opinans non dubitet, adeoque non teneatur eligere tutius; respondet, inquam, opinantem non manere suspensum, habere tamen formidinem, & habere debere de peccato, & ideo ex motivi non valentis causare certitudinem moralem insufficienti, manere quodammodo dubium; cum autem licitum non sit operari cum formidine, aut debito formidinis peccati, ideo non licet sequi opinionem probabilem; quod si quis omne dubium pellat, hoc non erit ex

ratione, sed ex voluntate; ergo perinde erit, ac non curare de peccato.

Sed contra; quia opinans nec habet dubium peccati, quia opinatur; nec habet formidinem prudentem, quia ex certo prudenti fundamento de non peccato opinatur; ergo ad summum habet imprudentem formidinem de peccato.

Respondet 3. n. 5. ad nostrum argumentum, quod nisi licitus esset usus probabilitatis, peccassent omnes Doctores, qui eam admiserunt, quod dici non potest: respondet, inquam, nostram doctrinam esse novam, & contra Scripturam, & Canones; non ita doctrinam de omnimoda necessitate certitudinis moralis.

Sed contra, tum quia hæc gratificatur; tum quia incredibile est tot extreme sanctos, & doctos non agnovisse eos Scripturam, & Juris textus, contra quos ita probabilitas; immo agnovisse potius, quod necessitas certitudinis moralis pro quolibet operatione stet: contra modum operandi sapientiorum Ecclesiæ Doctorum, contra naturæ humanæ in rebus incertis cognoscendi cognitionem, contra bonam de alienis opinionibus, & humilem de propriis estimationem.

Respondet 4. n. 6. ad argumentum, quod N. esset onus intolerabile, si probabilitas, tutius, aut moraliter certum de re agibili investigandum esset: respondet, inquam, quod sicut præcedens argumentum consilium fuit, ita hoc consilium quieti Probabilitatum, ne inquirendo fatigetur. Addit per Doctores maxime recentes, qui tantum defudant in speculando opiniones probabiles, improbables, probabiliores, tutas, non tutas, nullum superaddi onus, si non more probabiles, sed veræ, & certæ moraliter sententiæ doceantur.

Sed contra, tum quia sicut juxta nos nullus, qui veras, & moraliter certas cognoscit sententias, nullus, inquam, est, qui non teneatur ad illas, ita nullus est, qui in omni opere agibili sciat semper certitudine morali verum; quia difficile ut plurimum est inter certæ probabiles discernere certæ probabiliorem; e contra non ita discernere certæ probabiles à non certæ probabilibus: ergo obligare ad illud est obligare ad impossibile; obligare ad hoc est obligare ad certæ necessarium.

Respondet 5. ad hoc argumentum, quod N. in moralibus haberi sæpe non possit certitudo moralis; respondet, inquam, certitudinem ortam ab evidentiæ sæpe repugnare; non ita certitudinem moralem, quæ est media inter

inter probabilitatem, & evidentiam, & eam inquit non agnovisse, aut non cognoscere voluisse Probabilitatem.

N. 36. Sed contra; quia nil magis tritum apud Probabilitatem, quam certitudo moralis contradistincta ab evidentiâ; sepe enim dicunt opiniones aliquas esse moraliter certas: rursus dicunt certitudinem moralem excludere tantum prudentem formidinem; at evidentiam moralem excludere etiam imprudentem: at in materiâ fidei dicunt esse moraliter certum nostra mysteria esse vera; & negant esse evidens quod sint vera; plurimi enim Probabilistæ sunt valde eminentes Theologi, & insigniores omnium Scholarum Doctores, quibus nec lux, nec Author lucis deest. Nec verò Probabilistas tantum carpit, quin omnes, & præcipuum certitudinis moralis Assertorem Fagnanum; ait enim n. 8. loquens de naturâ certitudinis moralis, quod quantum video, neglectum, vel negligenter est præstitum à pluribus, & ab ipso Fagnano non satis dilucide, & exactè traditum.

N. 37. Quare n. 8. ait aliud esse leve indicium, seu argumentum, aliud opinio probabilis; aliud certitudo moralis, aliud evidentia. Leve indicium generat conjecturam. Opinio probabilis nititur fortiori motivo, & quia est insufficiens, vel propter aequalia, aut ferè aequalia motiva opposita, ideo habet formidinem de opposito. Certitudo moralis habet, vel motivum vehemens, seu violentum, vel plura motiva probabilia, nulla tamen habet aequalia motiva in contrarium, & multo minus fortiora. Evidentia habet talia motiva, quæ necessitant intellectum. Et n. 9. subdit, quod certitudo moralis habeat, vel unicum motivum vehemens, & violentum, vel plura probabilia. Deinde objicit sibi non bene explicari certitudinem moralem: & respondet, quod in materiâ morali, & legali dari non possint exactæ definitiones, ut in physicis; ethica enim, ut ait Arist. procedit pingui quâdam Minervâ, & inde multa remittuntur iudicio prudentum. Tandem interfectatur Probabilistas dicens, mirandum esse, quod cum sententias directas revocent ad probabilitates, iudicio suo reflexo dant certitudinem moralem privilegio speciali, quasi aliæ veritates non possint certo moraliter deduci ex suis principiis.

N. 38. Sed contra 1. quia si certitudo moralis est, quæ habet motivum vehemens, aut multa probabilia, ita tamen, ut nulla habeat aequalia in contrarium, eo ipso confunditur probabilioritas cum certitudine morali; illa enim nititur motivo vehementi, & non ha-

bet motiva aequalia in contrarium; atque adeo dum docet necessariam esse certitudinem moralem, docet necessariam esse probabilioritatem. Contra 2. quia ex hoc sequitur, quod paucissima erunt moraliter certa, quia pauca sunt, quæ non habeant contra se motiva ferè aequalia; atque adeo dum obligat semper ad moraliter certam, obligat plerumque ad impossibile, aut ad habendum iudicium erroneum, quatenus omnis operans debet supponere se habere iudicium moraliter certum directum de non peccato. Ad do, dum ait in ethica plura remitti ad prudentum iudicium, eo ipso fatetur prudentiam nisi falso, (quod tamen n. 1. negaverat) nam negare non potest prudenter sepe sibi contradicere: ergo prudens alterutrius iudicium est falsum. Admiratio autem illa, quod Probabilistæ dant certitudinem moralem iudicio reflexo, non autem veritatibus directis, oritur ex non penetratione materiæ; ideo enim iudicium reflexum de licito usu (quod tamen non est nisi unum unitate specificâ) est moraliter certum, quia nititur argumentis certis, & penè insolubilibus; ideo autem propositiones directæ, quæ tot sunt, quot materiæ controversiæ, non sunt moraliter certæ, quia similibus argumentis non nituntur, & post diuturnum hinc inde propositionum directarum examen, certo constat neutram esse moraliter certam, & utramque non esse nisi probabilem, sive æqualiter, sive inæqualiter.

Respondet 6. ad nostrum argumentum, N. 39. quod sicut in speculabilibus licet docere quamlibet probabilem, ita in moralibus licebit operari juxta utramque probabilem: respondet, inquam n. 10. negando paritatem, quia in opere ex opinione probabilis adest periculum peccati, non ita in speculatione. Addit, quod si in speculabilibus Doctores docent ut probabile, quod reverà est tale, non peccant, ut accidit in Universitatibus, & Cathedris, & Doctoribus opposita docentibus, quatenus quælibet sententia defenditur, ut probabilis; si autem doceant ut certum id, quod est tantum probabile; vel doceant probabile, relicto probabiliori, ait se nescire, an excusari possint à peccato deceptionis discipulorum, ut innuit S. Bonav. in S. Bonav. 2. dist. 7. art. 3. qu. 1. n. 52. & ex eo Fagnanus n. 113. Denique subdit aliquos ex affectu erga suum Doctorem, aut ex aliâ animi dispositione ita affici, ut quod est pure probabile, videatur illis certum.

Sed contra 1. quia hoc nostrum argumentum est invincibile ab Adversario: vel enim in speculativis, quoties neutra pars est certo mora-

moraliter vera, licet sequi quamlibet ex æquè probabilibus, vel non? Si non licet; ergo pessimè institutæ sunt Universitates; & omnes Doctores docentes opinionem speculativè tantum probabilem, quoties neutra est moraliter certa; peccabunt: ut enim operans probabiliter malum peccat juxta Adversarium; ita docens aliquid, quod est probabiliter falsum, peccabit juxta me; nam non minus malum est error voluntarius respectu intellectus, quàm malitia respectu voluntatis. Si licet; ergo etiam in moralibus, nam vel utrobique tam in speculativis, quàm in moralibus est periculum peccati, vel nulli; si enim exponere se periculo operandi malum, est peccare; exponere se periculo docendi falsum erit etiam peccare; vel si hoc non est peccatum, ut non est, ita nec illud.

N.

41.
Riccius.

Contra 2. quia ex hoc ipso deducitur impossibilitas practica doctrinæ Riccii; si enim post indefessum tot sæculorum examen neutra pars ex speculativis apparet moraliter certa, esto toties hinc inde disputatum sit, & quod caput est, in innumeris sententiis; quomodo in opinionibus moralibus, quæ non adeo controvertuntur, dabitur certitudo moralis pro aliquâ parte?

N.

42.

Contra 3. quia in Universitatibus sententiæ non defenduntur ut probabiles, sed sententiæ probabiles defenduntur ut veræ; nullus enim nisi rarissimè impugnare solet probabilitatem sententiæ oppositæ, sed veritatem. Quæro igitur, quomodo defendens aliquam sententiam speculativam probabilem prudenter operetur? Si enim dixerit operari prudenter, quia certum est, quod liceat defendere omnem opinionem speculativam probabilem, hoc ipso recurrit ad judicium reflexum certum de licitâ defensione cujusvis opinionis speculativæ probabilis: ergo licebit quoque Probabilistis recurrere ad judicium certum reflexum de licito usu operandi juxta probabilem: si autem dixerit, quod opinio speculativa probabilis sit per se ipsam judicium prudens, hoc ipsum dici poterit de opinione practicè probabili. Denique si in Universitatibus defenduntur sententiæ speculativæ, ut probabiles, & hoc absque ullâ culpâ, immò cum laude, ut tales sunt, doceri possunt; cur etiam non licebit operari cum solo judicio de probabilitate opinionis practicæ, suspensio judicio de ejus veritate, ut accidit, dum docemus speculativas? Hinc patet nil trahi posse à Riccio contra Probabilitas, quod non infringatur paritate liciti usus docendi omnem sententiam probabilem speculativam.

Riccius.

N.

43.

Respondet 7. ad nostrum argumentum,

quod si non licet sequi probabilem, nec licet sequi probabiliorē, quia in hujus sequela adest sæpe formido, & periculum peccati: ergo tenebimur semper ad tutiorem, in quâ nullum est, hoc autem est nimis durum: respondet, inquam n. 12. numquam licitum esse sequi probabiliorē, nisi sit moraliter certa: ergo tenemur, inquit, ad moraliter certam, non autem ad tutam, in quâ nullum sit peccati periculum. Hinc si opinio docens non esse sub mortali recitandum Matutinum ante Missam sit moraliter certa, non teneor sequi opinionem tuentem eam obligationem, esto sit omnino tuta; nec teneor credere me peccare omitendo Officium ante Sacrum; quia, inquit, homo tunc optimè agit, quando juxta rectam rationem agit: sed opinio eximens nos ab eâ obligatione est certa moraliter, ut supponitur: ergo rectissime juxta eam operamur, & oppositum dependet ex conscientia scrupulosa, quæ sananda est, non fovenda.

Sed contra 1. quia si peccati periculum est N. unicus Adversariorum Achilles, quo variè 44. formato contra nos utuntur, ostendentes ex eo non licere sequi probabilem, immò nec probabiliorē, ut vult Riccius, nisi sit moraliter certa; quomodo nunc hoc argumentum contemnit? Ut enim considerans probabilem, aut probabiliorē negat eas nos sequi posse, sed unicè nos licet sequi posse opinionem moraliter certam, quia in probabili, & probabiliori sequendo exponitur homo periculo peccati: ita dico ego, quod comparando opinionem tutam, et si non probabilem, (quantò magis si probabilis sit) cum opinione moraliter certâ, tenebimur ad tutam, et si non probabilem, & deferere moraliter certam; quia in tutâ et si non probabili nullum est periculum peccati, nec materialis, nec formalis, ut patet in sequente opinionem obligantem ad Officium ante Sacrum; recitans semel nec materialiter, nec formaliter peccabit, quia sequitur tutum: contra in moraliter certâ est periculum peccati saltem materialis, ad quod vitandum affirmat Riccius cap. 4. dari obligationem.

Contra 2. quia dum dicit non recitantiem N. Officium ante Sacrum rectè agere, quia juxta 45. rationem, nempe juxta sententiam moraliter certam de non recitatione: dicam ego, ut ipse dicit nostris argumentis; dicam, inquam, hanc maiorem, qui agit juxta rectam rationem, rectè agit, esse veram; hanc autem minorem, non recitans agit juxta rationem, nempe juxta opinionem moraliter certam de non recitatione, esse falsam: falsum

sum enim est, quod sequens moraliter certam in conflictu tutioris probabilis, aut non probabilis, sequatur rectam rationem; ut enim ipse Riccius contra nos negat, quod sequens probabilem, aut probabiliorem sequatur rectam rationem, quia semper adest in illis formido peccati, & quia juxta ipsum judicium probabile, aut probabilius de non peccato non est prudens: ita ego negabo, quod judicium moraliter certum de non peccato, stante opposita opinione omnino tuta, sit judicium prudens, & quod illud sequens sequatur rectam rationem. Ecce quomodo, nisi nostra argumenta judicet optima, locus non est ei, ut solvat argumenta contra eum adducta. Ecce nostris untur solutionibus, ut se liberet ab argumentis, & nisi illis utatur, non se liberabit, & concedere debet, non esse licitum sequi judicium moraliter certum de non peccato formali, stante opposita omnino tuta tam de peccato formali, quam de materiali; nam sequens opinionem moraliter certam de non peccato formali in omissione Maturini ante Sacrum, exponit se periculo peccati materialis, si forte datur obligatio recitandi ante Sacrum, ut asserit sententia opposita omnino tuta, siue probabilis, siue non probabilis.

N. Respondet 8. ad argumentum insinuat-
46 tum à Caram. quod obligantes sequi semper
Riccius, probabiliores, aut certam, accedant Janle-
Caram, nio, quatenus sepe est impossibile scire, quæ
Janle, sit probabilior, aut certior: respondet, inquam
Fagnan, n. 15. ex Fagnano, confundi debere ita argu-
gentes, quatenus stant contra Scripturam, & PP. requirentes certitudinem moralem honestatis ante operationem. Addit non minoris esse laboris investigare quæ opinio sit probabilis, aut non probabilis, quam quæ sit probabilior, & quæ certa: ut autem facile nos sudamus in illo, ita longè facilius in hoc.

N. Sed contra 1. quia longè facilius est dis-
47 cernere inter contraria, quam inter similia: sed probabile, & non probabile sunt contraria; probabile, & probabilius sunt magis similia: ergo longè facilius est discernere inter illa, quam inter hæc: ergo nulla responsio. Addo Authores optime sudare in illo, ut triticum a zizaniis discernant; ergo illud præstandum est. Contra 2. quia nemo negat necessariam certitudinem moralem prudentialem honestatis, immò hanc supra ostendi inesse cuique judicio certo probabilis, vel, ut Reflexista docent, inesse syllogismo reflexo; quod negamus, est, necessariam esse certitudinem moralem speculativam honestatis, ut rectè operemur. Contra 3. quia
Riccius, det nobis, si potest, Riccius Catalogum

opinionum probabiliorum, aut moraliter certarum: immò sicut non potest inter speculativas cum texere, ut experientia, & inductio inter Universitates, & Scholas oppositas suadet; ita nec inter morales: si ergo non potest, eo ipso obligans semper ad non nisi moraliter certum, aut probabilius obligat ad impossibile.

Respondet 9. ad argumentum reflexum, N. quod sententia docens licitum usum proba-
49 bilium, sit longè probabilior sententiæ ne-
Riccius, gante: ergo ea sequenda est: respondet, inquam n. 16. esto sit extrinsecè, non tamen est intrinsecè probabilior; quia negans licere, est longè probabilior; cum nostra argumenta sint valde levia, & in multis peccent. Sed contra; quia adeo solida sunt, ut necesse sit Adversarios iidem uti, ut suam conclusionem intactam servant, & ut solvant instantias, quas contra illos armamus; nisi enim ea solutione utantur, quâ nos solvimus eorum contra nos argumenta, numquam se liberabunt à nostris instantiis. Rursus ut propriam tueantur, debent Adversarii uti argumentis, quibus nostram probamus: ergo vel propriam sententiam negare debent, si negant nostram; vel nostram tenere, si tenent suam; implicat enim, ut eorum sententia sit vera, nisi nostra sit vera: & si nostra deobligans à probabiliori, & à moraliter certo, & statuens satis esse certò probabile practicum, est vera; eo ipso obligans ad illa, & respiciens istud, est sententia falsa.

Demum ad nostrum argumentum, quod N. Pontifices sepe in materia fidei, & morum
50 secuti sunt probabile, ut constat vel ex solâ
Riccius, Bullâ in favorem Deiparæ sine labe conceptæ; est enim tum in materia fidei, *Omnes in Adâ peccaverunt*; tum in materia morum, quia respicit cultum Deiparæ, qui non fundatur, nisi in opinione purè probabili de Immaculatâ Conceptione; non enim opposita docens in peccato conceptam est certo falsa; alias Pontifices damnaissent de mortali Doctores stantes pro labe Deiparæ: non damnarunt autem: ergo &c. Respondet n. 18. opinionem faventem Deiparæ sine labe conceptæ non esse moraliter certam, quia vel est talis ante Bullas faventes eidem piæ opinioni, & cultui eam sequenti; & hoc non, quia Scholarum Principes steterunt pro negativâ; & solus Scotus est, qui cum aliquo favore cœpit favere piæ opinioni: vel est talis post easdem Bullas? & hoc non, quia iidem Pontifices faventes piæ opinioni, & approbantes cultum, & indulgentius ditantes Deiparæ sine labe conceptæ cultores, declarant,

clarant, se nullum intendere opinioni contrariæ præjudicium inferre, sed in eo statu relinquere, quo antea: ergo pia opinio per Bullas non est facta moraliter certa, alias præjudicium illatum fuisset oppositæ.

N. 51. Quare, ait n. 19. distinguendum esse; duo enim affirmat sententia pia: primum, quod non sit contra Scripturam: secundum, quod sit vera; quæ duo non sunt idem, nec unum sequitur ad aliud; non enim ex eo quod non sit contra Scripturam, inferitur aliquid esse verum. Primum ait esse moraliter certum; nisi enim esset moraliter certum, quod sententia pia non sit contra Scripturam, festum Conceptionis institui non potuisset; ut enim non caret peccato facere aliquid, de quo probabiliter dubitatur an sit peccatum; ita nec caret peccato affirmare aliquid, & celebrare, de quo probabiliter dubitatur, an sit contra Scripturam; est enim exponere se periculo hæresis: ergo est certum moraliter, quod sententia pia non sit contra Scripturam. Quod autem non sit moraliter certum, quod sententia pia sit vera, constat; quia aliter conciliari non potest cultus à Pontificibus delatus Immaculatæ Conceptioni, cum hoc ipso quod nullum allatum sit sententiæ oppositæ præjudicium.

N. 52. Sed contra 1. quia incredibiles sunt angustie, in quas sponte se conijciunt Anti-Probabilistæ, & multo magis Riccius, qui necessariam putat semper ad rectè operandum certitudinem moralem speculativam de honestate operationis, quoties hoc Deiparæ argumentum contra eos instituitur: vel enim sententia pia est moraliter certa; & sic opposita negans erit certò falsa, & grave præjudicium inferetur sententiæ oppositæ: vel est tantum probabilis, aut probabilior? & sic etiam sententia opposita: ergo in materia fidei, & morum licet sequi probabilem.

N. 53. Contra 2. quia esto verum sit, non inferri ex eo, quod aliquid non sit contra Scripturam, esse verum, attamen si aliqua veritas universalis tradatur à Scripturâ, & ab eâ eximatur persona aliqua particularis, illammet ipsæ rationes, quæ eam personam eximunt, & exemptam ostendunt, illæ ipsæ rationes, eâ certitudine, quâ eximunt, probant oppositum: ergo si per Riccius est moraliter certum, quod Deipara sit exempta à textu universali ob peculiares rationes; & si eadem rationes probant certò moraliter Deiparam esse à textu universali exemptam, consequenter certò moraliter probant oppositum, nempe Deiparam esse sine labe conceptam: ergo licet verum sit non valere ab eo, quod aliquid non sit contra Scripturam,

illationem ad affirmandum illud idem esse verum; attamen in hoc casu, in quo non agitur nisi materia fidei, nempe an Deipara sit, vel non sit sine labe concepta, & juxta Riccius ob peculiares rationes est moraliter certum non esse contra Scripturam asserere Deiparam sine labe conceptam, eo ipso est moraliter certa ob easdem rationes hæc veritas, *Deipara est sine labe concepta*: ergo inaniter distinguit, & dicit, quod sit certum moraliter sententiam piam non esse contra Scripturam, non sit autem moraliter certum sententiam piam esse veram. Vid. d. 8. n. 386. & d. 10. a num. 233. ubi Riccius impugno; cum pia opinio sit certissima.

Contra 3. quia dicendo esse moraliter certum sententiam piam non esse contra Scripturam, eo ipso inferit præjudicium sententiæ oppositæ; hæc enim totam vim fundat in Scripturâ, & quia putat contra Scripturam, ideo inferit esse falsam: ergo contra si sententia pia non est contra Scripturam, eo ipso est vera. Rursum dicendo non esse moraliter certum, sententiam piam esse veram, eo ipso dicit, quod hæc veritas, *Deipara est sine labe concepta*, sit tantum probabilis: ergo licet sequi probabile in materia fidei; & quia in sententiæ piæ veritate fundatur cultus, eo ipso licet etiam sequi probabile in materia morum; atque adeo, dum eo duplici dicto, putat per unum se non inferre præjudicium sententiæ neganti Deiparam sine labe conceptam; & putat per alterum se defendere ab argumentis Probabilistarum, neutrum præstat, immò oppositum: nam dicendo esse moraliter certum, quod sententia pia non sit contra Scripturam, inferit præjudicium sententiæ affirmanti esse contra Scripturam: dicendo esse tantum probabilis, quod sententia affirmans sine labe conceptam sit vera, eo ipso tuetur, quod in materia fidei, atque adeo morum defendi possit sententia probabilis.

Contra 4. quia sicut dicit sententiam N. piam adhuc post Bullas Pontificum non esse moraliter certam, ne injuriam inferat Scholarum Principibus, qui olim docuerunt oppositam, quomodo sententiam docentem licere usum probabilitatem, in quam unanimes venerunt, postquam ex professo tractari coepit, omnes omnium Scholarum, in aliis plerisque sibi oppositarum, insigniores Doctores; quomodo, inquam, audebit vocare certò falsam, & tam grandem auctoritatem despiciere? quæ si confutatur cum auctoritate sententiæ affirmantis Deiparam in peccato conceptam, longè maior est; longè enim plures, eosque doctissimi,

eternâ, & pietate celeberrimos numerat pro
se Doctores sententia affirmans ulum proba-
bilitatum, quàm numeret sententia affir-
mans Deiparam in peccato conceptam.

N. 56. Contra 5. quia si sententia affirmans Dei-
param sine labe conceptam est tantum proba-
bilis, aderit periculum falsitatis, & cul-
tus eam falsitatem supponens erit materiali-
ter malus; ab hoc autem Riccius numquam
se liberabit, etsi dicat, quod illud periculum
contemnitur, quia adest laudabilis, & pius
erga Deiparam voluntatis affectus; quod
bonum longè præponderat periculo illius
mali intellectualis: Contra enim est, quia
non tantum adest periculum mali intelle-
ctualis, quod est falsitas, sed etiam pericu-
lum mali moralis, nempe honor, & cultus
omnino indebitus Deiparæ, si non est sine
labe concepta: tam enim peccatur non ho-
norando, quando honor debetur, quàm pec-
catur honorando, quando honor non debe-
tur: ergo sicut licet sequi sententiam proba-
bilem de Immaculatâ Conceptione, & benè
sequimur, nec hoc negari potest, etsi adit
periculum falsitatis, & cultus indebiti, &
immeriti, seu peccatum materiale intelle-
ctus, & voluntatis, cur non in aliis materiis?
Rursus sicut in hac materiâ non datur præ-
ceptum vitandi peccatum materiale intelle-
ctus, & voluntatis, ita nec in aliis; immò
sicut ibi illud præceptum, si fortè datur,
quia tamen non est certum, non obligat, ita
nec alibi, quia si fortè datur, certò non con-
stat. Nec dici potest articulum Conceptionis
non esse materiam fidei: est enim in co-
sensu, quo omnes intelligimus, quatenus est
materia definibilis, & habet fundamentum
in Scripturâ; hoc enim vocamus materiam
fidei; etsi non sit materia fidei in hoc alio
sensu, nempe, quod sit definita, & creden-
da de fide.

N. 57. Contra 6. quia dum Riccius dicit n. 22.
quod Pontifices unice vetuerint, ne quis vo-
ce, aut scripto doceat sententiam non piam;
non autem ne quis hanc intus suâ in mente
teneat, quod idem dicit de damnatis ab Ale-
xandro VII. & Innoc. XI. quod unice pro-
hibuerint, ne quis eas doceat, defendat, edat;
nô autem, ne quis mentaliter eas teneat; dum
hæc, inquam, dicit, eo ipso approbat prin-
cipium, quod alibi rejicit, nempe, quoties
lex non constat, non datur: sed lex damnans
ne quis mentaliter eas damnatas teneat, non
constat; ergo non datur.

Contra 7. quia dum dicit, quod quoties
Pontifices dispensarunt, fuerunt moraliter
certi id sibi licere, duo confundit; vel enim
Papæ fuerunt semper moraliter certi de ob-

jecto; & hoc non, quia fides adhibita doctis-
simis, ac piis viris non dat certitudinem mo-
ralem speculativam de veritate rei, cum il-
lis plerumque opponerentur alii æquè do-
ctissimi: ergo Papæ non semper fuerunt mo-
raliter certi de veritate directâ rei: vel fue-
runt semper certi moraliter reflexè, quate-
nus est moraliter certum licere, quod viri
doctissimi dicunt verum, sive probabiliter,
sive probabilius illud dicant? & sic manus
dat Probabilistis Reflexistis.

SECTIO II.

*Vult quod sequens minus probabilem dubitare
debeat de peccato; & quod iudicium refle-
xum impossibile, & inutile sit.*

§. I.

Ejus Fundamenta.

SUMMARIUM.

*Ait ex jure esse peccatum operari cum scrupulo
peccati, multo magis cum opinione probabili
peccati, n. 58. 59.*
*Ait quod iudicium directum incertum non possit
dare certitudinem reflexo, n. 61. 62. 63.*
*Ait nostram doctrinam, quod quis possit esse cer-
tus de honestate formali, quin sit de objectivâ,
destruere regulam, Tenere certum, n. 64.*
*Ait nostrum principium, Licet operari juxta
probabilem, esse falsum, tantum abesse, ut
sit certò verum, n. 65.*
*Ait quod nisi asseratur revelatio, numquam cre-
det, quod prudenter agat, qui sequitur pro-
babilem, n. 66.*
*Ait certitudinem nostri principij esse purè volun-
tariam, & ex libidine, n. 68.*
*Voluntas non nixa rationi est libido, ait S. Aug.
ibid.*
*Aristoteles ait, quod idiotæ facile pronuntiant,
ibid.*
*Cur S. Augustinus vocetur à Nebrigenſi Acade-
micus? Ibid.*
*Ait dari præceptum vitandi peccata materialia,
n. 69.*
*Ait legem vetare, ne fiat, non verò, ne culpabi-
liter fiat: & mirandum, quod oppositum af-
firmemus, n. 70.*
*Ait finem legis non esse removere culpas, sed re-
movere peccata materialia, ibid.*
*Ait quod si peccata materialia vitanda non es-
sent, nescientes legem, instruendi non essent,
n. 71.*
*Ait charitatem obligare, ut vitemus peccata ma-
terialia: & quod si vitanda non essent, nemo
dolere possit de peccato, ut est Dei offensâ, ibid.*
Ait de peccatis materialibus etiam invincibili-